

## CARMINA CROATICA LATINE REDDITA

### **Terra patria formosa**

~ *Lijepa naša domovino*, Antun Mihanović (1796. – 1861.)~

Terra patria formosa,  
tu virtute terra nota,  
tu vetusta, gloriosa,  
sis in dies felix tota!

Cara nobis sic ut clara,  
unica tu nobis cara,  
cara ibi ubi plana,  
cara ubi es montana.

Flue, Save, aqua rara,  
tu, Danuvi, noli stare,  
mare nostrum mundo narra  
haec Croatam adamare!

Donec agros sol fovebit,  
ventus quercus dum movebit,  
dum sepulcro suos flebit,  
donec vivum cor manebit!

### **Serva, Deus, patriam**

~ *Bože, čuvaj Hrvatsku*, Drago Britvić (1935. – 2005.)~

Serva, Deus, patriam  
Croatiam,  
populum orantem te  
tuam gratiam!

Supplicantes facias  
nunc unanimos:  
terram hanc respicias,  
benedicas nos!

Si necesse, Domine,  
ecce votum suscipe:  
vitam meam adime,  
sit pro munere!

Omni occasione tu  
adsis ei, omnibus,  
serva, Deus, patriam,  
Croatiam!

### **Surgas, o Bane**

~ *Ustani, Bane* ~

Anno nongentesimo  
tertio hoc erat,  
malum in Croatia  
cum non deerat:  
signa Hungarica  
ponit Hedervary,  
ille vult Croatiam  
vi hungarizari.

Surgas, o Bane,  
nam Croatia te vocat,  
surgas, o bane Jelačić nunc!

Non est Croata,  
cui sit data  
virtus quam haberet  
banus Jelačić,  
nunc vero illum  
humus atra condit  
et sepulcrum eius  
gramen contegit.

### **Zagrabiae**

~ *Zagrebu*, August Šenoa (1838. – 1881.) ~

In Grecensi prisco monte,  
Vir ut fortis, iuvenis,  
Stat superba, firma fronte,  
Clara urbs amabilis.  
Hospitalis,  
Sed non talis  
Conserenti proelia.  
Quis non dicat ibi:  
Laus et gloria tibi,  
Mira urbs Zagrabia!

Quot procellas vidit illa  
Sorte iniquissima!  
Persequens sed et vexilla  
Stabat constantissima.  
Fregit multa  
Bella stulta  
Hostium saevitia.  
Quis non dicat ibi:  
Laus et gloria tibi,  
Mira urbs Zagrabia!

Super ea fulsit sidus,  
Quo videamus clarius  
Nos et fratres, quorum nidus  
Est servandus melius.  
Haec, Croata,  
Habe rata:  
Mea gens, ne dormias!  
Quis non dicat ibi:  
Laus et gloria tibi,  
Mira urbs Zagrabia!

Gentem nostram revixisti  
Pellens mentis tenebras,  
Doce nos ut docuisti,  
Tu quae tales celebras.  
Excellentes  
Paris mentes  
Praeditas scientia.  
Quis non dicat ibi:  
Laus et gloria tibi,  
Mira urbs Zagrabia!

Quam es pulchra luce prima!  
Domus en cum aedibus,  
Tota regio opima,  
Savus carus omnibus.  
Prae nitore  
Nil ex ore,  
Spectas mirabilia.  
Quis non dicat ibi:  
Laus et gloria tibi,  
Mira urbs Zagrabia!

Urbs o nostra capitalis,  
Clipeus certissimus,  
Urbs o nostra immortalis  
Sol ut splendidissimus!  
Esto fortis,  
Expers mortis  
Mille annos, milia!  
Quis non dicat ibi:  
Laus et gloria tibi,  
Mira urbs Zagrabia!

### **Totus mundus noster hic...**

~ *Neka cijeli ovaj svijet*, Milan Grgić (1934. – 1997.) ~

Est tamen certus locus  
in mundo ubi vivimus nos,  
est tamen solis focus,  
est somniandi mos.

Totus mundus noster hic  
sit sole plenus,  
tota terra nostra haec  
tandem sit felix,  
totus mundus noster sit  
campus beatus,  
viride, virgineum,  
somnus quod est omnium,  
pratium floridum.

Iam ignis gliscens foveat,  
en sidus novum lucem iam dat,  
sunt quos et bonum movet,  
spes quorum firma sat.

Totus mundus...

### **Dixerunt /fragmentum/**

~ *Rekoše /odlomak/*, Vladimir Nazor (1876. – 1949.) ~

Dixerunt: »Servi semper vos fuistis,  
Historia vestra campus ille tristis  
In quo nec signum verae crucis exstat:  
Fortasse lapis mutus quidam restat;

Ubique herba! Cuncta sunt per prata  
Vestrorum patrum ossa dissipata!  
Nec somniant in terra quam amarunt:  
Ut fimus illi humum stercorarunt  
Et abierunt... Memor quis eorum?  
Praeterita sunt vestra ineptorum  
Sermones, umbra, nox!«  
Sic loqui malunt,

Ad id sed viscera mi clamant: Fallunt!  
Tametsi non sunt multa monumenta,  
Imagines, nec arces, pergamenta,  
De illo cuncta scio tempore.  
In omnes partes non sunt patrum ossa  
Meorum dissipata, sed defossa  
Et condita in meo corpore!  
Non periit nec spiritus nec frons  
Eorum: stercorarunt solum natum,  
Agrosque, vias, bonum mihi datum:  
– Et mortuorum vivus ego fons!

### **Poetae**

~ *Pjesnici*, Antun Branko Šimić (1898. – 1925.) ~

Poetae sunt miratio in mundo.

Incedunt ei per terram et oculi eorum,  
et magni et muti, in dies crescunt.

Applicantes aures  
ad silentium, quod illos circumdat et cruciat,  
poetae sunt perpetua subtilitas in mundo.

### **Nocturnum**

~ *Notturmo*, Antun Gustav Matoš (1873. – 1914.) ~

Tepens nox; latratus ruri; nigrans  
Strix vel ulula;  
Amor florum – odor potens, flagrans  
Agit epulas.

Gryllus parvus maeste vocem mittit,  
Ut argentum fit;  
Somnum pondus oculorum sitit,

Pax de caelo it.  
Atrae turris vox

Sonat: iam est nox.  
Mitis lux de altis tacens rorat.

Nunc silentium  
Crescit omnium,  
Ferriviam spatium iam vorat.

### **Capra**

~ *Koza*, Mate Balota (1898. – 1963.) ~

Quattuor horas mater nostra ibat,  
sescentosque gradus iens fecit illa  
ieiuna.

Trans colles et valles in urbem sic venit  
et me invenit  
et certiozem me fecit  
capram interisse.

Domi affixa lecto avia,  
et parva soror aegrotat.  
Casa sine frumento, farina, sine nummo  
et mortua capra.

Iterum sescenti gradus.  
Omnis gradus plenus est curis.  
Quomodo tot homines sustentare  
e mercede unius nati in urbe.

Tres dies cibum non gustavi,  
tres noctes caprae mortem deflebam  
et febris correptus laborabam  
quattuordecim horas in die.

Sed longinquus caesar Austriacus  
et magnus imperator Germaniae  
nec divinare poterant  
quid cogitaret aliquis parvus homo,  
qui totam per noctem complorat caprae mortem.

### **Solum patrium**

~ *Moja zemja*, Drago Gervais (1904. – 1957.) ~

Sub Monte aediculae  
albae,  
parvae, ut guttulae  
magnae.

Muruli albi, et tectula rubra,  
passerculi ibi  
canentes,

parvulae valles, minores agelli,  
mulierculae illos  
colentes.

Albidae viae, stratae minutae,  
et caruli multa  
vehentes,  
angustus unus, rivulus parvus,  
infantuli iuxta  
ludentes.

In sole aediculae  
fulgunt,  
in turri horulae  
tundunt.

### **Multam ad noctem, hibernam albam noctem**

~ *Dugo u noć, u zimsku bijelu noć*, Dragutin Tadijanović (1905. – 2007.) ~

Multam ad noctem, hibernam mutam noctem,  
Mea mater album linum net.

Figura flexa canaque caesaries eius  
Iam pridem eam lacrimis consociarunt.

Lampadis radius de fenestra in aream extensus est  
Per nivem quae foris cadit  
In tranquillitate, in tranquillitate;  
Angeli de caelo, piis manibus,  
Nivem sideream in terram demittunt  
Curantes ne deliciam meam suscitent.

Multam ad noctem, hibernam vastam noctem  
Mea mater album linum net.

O, mater tristis! dic, quid sit quod niteat  
In oculis tuis

Multam ad noctem, hibernam albam noctem?

### **Agricolae**

~ *Težaci*, Drago Ivanišević (1907. – 1981.) ~

Semper cantus gallinarum,  
semper canum ululatus,  
semper luna est cruenta,  
semper plorat viduata.  
Semper portio ieiuna,  
semper dorsi spinae dolor,  
semper siccitas in campis,  
semper grandio legit uvas,  
sed et semper ridet proles.

### **Avus meus**

~ *Moj did*, Drago Ivanišević (1907. – 1981.) ~

Avus meus cum stellis coniunctissime vivebat,  
cum sole et cum luna,  
avus meus cum asino vivebat,  
et cum serpente, et cum capra vivebat,  
avus meus cum pluvia vivebat,  
cum omni vento, cum pruina et cum feris.  
Nam avus meus a pueris,  
a pueris terrae totus se dedit.  
Et cum in solo nudis pedibus in aeternum obmutuit,  
avia mea, oculis vulturis,  
avia mea nullo modo distinguere poterat  
pedes eius inter radices olivae.

ET SIC AVUS MEUS IUXTA DEUM STETIT.



### **Larus et ego**

~ *Galeb i ja*, Tomislav Zuppa (1906. – 1980.) ~

O quam pulchrum, o quam pulchrum  
in sabulo recubare,  
in litore solum esse,  
in pelago te spectare, mi larule!

Te spectare, tecum ire,  
esse imprimis non timentem,  
illudere omnem ventum,  
tempestatem venientem, mi larule!

Venientem in furore,  
ut et coquat, spumet mare,  
dominari verum tamen,  
in excelsis exsultare!

Exsultare quasi nobis  
sol fulgeat sine fine,  
velut nil in caelo, mari  
sit infestum, sed confine, mi larule!

Sed confine, dum tu alis  
volas ubicumque optas,  
tempestatem sive solem  
tu illudis et exoptas!

In litore solus iacens,  
sol dum osculatur mundum,  
te ausculto exsultantem:  
o quam pulchrum, o quam pulchrum, mi larule!

**Zlatko Vidulić**